

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Jacobvs Redvx.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

J. Optime. Ego hic erigam cippum ex hoc faxo:
 vos mei propinqui accumulate lapides. Capiamus
 cibum super hoc tumulo. L. e) Hic hodie tu-
 mulus erit medius testis inter me & te. J. Per-
 placet. Atque ex hac re vocetur Galatas. L. Aut
 etiam Masphe, ut significet, Deum aspecturum,
 quid fiat a me & te, cum discesserimus alter ab
 altero. Quod si tu eris durus meis filiabus, aut si
 duces alias in matrimonium præter eas, tum hæc
 pacta perinde sunt, atque si nulla facta sint.
 Atque hujus quidem rei testis esto Deus utrique.
 Vides hunc tumulum, vides & hunc cippum,
 quem extruxi inter me & te? Hic tumulus, & hic
 cippus, testes sunt, neque me adversum te, ne-
 que te adversum me transiturum eos ad nocen-
 dum. Deus Abrahami & Deus Nachoris, utrius-
 que patrius, sunt nostri vindices. J. Ego con-
 juro per terrorem mei patris Isaaci. Atque ut hæc
 sint sanctissima, faciam hodie sacrificium in hoc
 monte, ad cuius epulas vos omnes invito.
 L. Condicimus.

SENTENTIA.

Deus suos tuetur ab adversariis.

JACOBVS REDVX. Genes. 33.

ARGUMENTVM.

Jacobus ex Mesopotamia rediens, Esau-
 rum fratrem donis placat.

B 5

Esavus,

e) Etiam res inanimatæ testes sunt, non illæ quidem
 verbis, sed re.



Esavus, Jacobus.

O Salve multum, mi frater charissime. *J.* Salve & tu plurimum germane mihi optatissime. *E.* Ut te libenter amplector post longum spatium temporis? *J.* Et mihi profecto jamdiu nil fuit jucundius, quam nunc videre te incolument. Itaque præ gaudio non teneo lachrymas. *E.* Nec ego possum non flere, ita totus lætitia gestio. Sed quid sibi vult iste grex mulierum & puerorum, quos tecum ducis? *J.* Uxores sunt & liberi, quibus me Deus, quæ sua est liberalitas, ditavit. *E.* Quid autem sibi vult totus ille grex, quem offendit veniens? *J.* Volui te eo dono mihi placere. *E.* a) Satis multa habeo frater habet tibi tua. *J.* Ne repudia me, quæso: si te mihi propitiūm habeo, accipies a me munusculum. Nam b) quod vidi faciem tuam, videor mihi vidisse numen quoddam: nec mirum, qui mihi tam facilis fueris. Itaque quæso, ut accipias a me munusculum, quod ad te adductum est: postquam Deus pro sua benignitate tam multis bonis me cumulavit, ut ulla re caream. *E.* Quando urges tantopere, accipio, et si nihil opus erat. Age eamus, ego ibi una tecum. *J.* Scis pueros esse teneros, ovesque & capras & boves prægnantes: quod si fatigentur vel unum diem, actum est de ovibus & capris omnibus, interibunt. Sed amabo, i præ: ego pergam clement-

a) Vincitur interdum feritas officiis.

b) Prudens & adversario non noxia, sed potius utilis simulatio.



menter & placide, prout postulant ea, quæ præ
me duco, ipsique pueri, donec veniam ad te in
Seir. *E.* Saltem relinquam tibi aliquot ex meis
comitibus. *J.* Quid opus? gere obsecro mihi
morem.

SENTENTIA.

*Potentiorum ira comitate & submissione est le-
nienda.*

JOSEPHVS VENDITVS. Gen. 37.

ARGUMENTVM.

Josephum ob invidiam vendunt fratres
mercatoribus Ismaelitis.

*Simeon, Levi, Ruben, Josephus, Judas,
Mercatores.*

Ecce vobis somniator ille. Agite occidamus
eum, dejiciamusque corpus ejus in aliquam
specum. *L.* Sed quid renunciabimus patri de
eo? *S.* a) Devoratum esse ab aliqua fera. Vi
debimus quorsum evadant ejus somnia. *R.* Im
pium sit maculare manus sanguine pueri, idque
fratris, deducimini ab ista mente: nihil potestis
gravius consulere in nos, aut in patrem nostrum.
S. Unde tibi incessit ista nova religio? Vis ergo
sinamus eum vivere, qui suis insomniis portendit,
nos omnes, ipsosque adeo parentes, fore sibi sup
plices? An non dignus est, qui eat somniatum
apud inferos? *R.* Frater, si ita futurum est, qui
caveas? sin minus? quid times, usque adeone
indignum tibi videtur, si puer imperitus somnia
vit?

a) Peccatum parit mendacium.

